



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXXIV. Cur initium signorum à vino fecerit Jesus? Dominica II
Post Epiphaniam. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ. Joan.
2. v. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXXIV.

Cur initium signorum à vino fecerit
JESUS?

DOMINICA II POST EPI- PHANIAM.

*Hoc fecit initium signorum JESUS in
Cana Galilææ. Joan. 2. v. 11.*

§ I.
Cur initi-
um signo-
rum à vino
fecerit
Christus?



Antiqua quæstio est: cur initium miraculorum à vino sumpserit JESUS? à vino inquam, quod est *luxuriosa res*. Proverb. 20. v. 1. quod *apostatatare facit sapientes* Eccles. 19. v. 2. quod *in fine mordet, ut coluber*. Proverb. 23. v. 32. Denique quod est ipsa iniquitas. Proverb. 4. v. 17. His tamen non obstantibus, mutat JESUS aquam in vinum, & à vino miraculorum facit exordium. Ex hac nî fallor causa: ut ostendat se *svavem esse Dominum*. psal. 33. qui omnes affeclas suos non aquâ potet, sed vino. Aquam mutat in vinum, ut indicet: quod legem veterem conversurus veniat in novam, dulcem, & salubrem: lex enim vetus, aqua frigida, insipida; at lex nova,

cùm sit lex amoris, vino optimo similis est. Unde promulgatâ lege novâ musto pleni, Act. 2. Apostoli dicti sunt; *berie musto, non vino antiquo, quia svavior, utique novi ad instar vini, lex nova præ antiqua*. Aquam mutat in vinum, ut te doceat jam, quod postea dicet verbo: Joannis 15. Ego sum vitis vera. Attrahit vitis succum terræ, & beneficio Solis alterat in vinum. Hic est, qui solus aquam tribulationis convertere novit in vinum consolationis. Aquam mutat in vinum; ut ultima respondeant primis; in ultimo convivio mutabit aquam & vinum in sanguinem, in primo, cui hodie interest, convivio, aquam mutat in vinum: sic nimirum instituendæ postea Eucharistiæ præludere placuit. Et quia vinum propinquius est sang-

B b 2

vini,

vini, quàm aqua vino, non dubitârunt dicere D. Cyprianus ep. 100. Irenæus, & Isidorus Pelusiota; majus fuisse miraculum mutationem aquæ in vinum, quàm vini in sanguinem. Pulchrè memoratus Cyprianus ep. ad Cæcil. Cùm dicit Christus: *Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum est.* Ego putarem primum hoc fuisse miraculum, ut discat Christianus à Christo, quòd princeps & præcipuum illius miraculum esse debeat, ex aqua facere vinum; potest hoc, dummodo velit: sicut enim solâ voluntate aquam in vinum mutavit Christus, ita & mutare potest Christianus. Sed quomodo fiet istud? Attendite, docebo.

§ 2.
Ubinam
aqua ca-
rissima?

Non rarò quæri solet: ubi aqua sit carissima? responderi potest: in vasta fontibus & scaturiginibus carente solitudine, in qua urente sole, altâ æstate, longiori tempore aut peregrinandum aut subsistendum est. Ibi, quantumcunque pretij pro unico haustu frigidæ offeras, non facile accipies, ut sitim leves. In ejusmodi solitudine detentus quondam cum exercitu suo Darius Persarum Rex, oblatam tepidam ex lacuna vermibus scatente, eo gustu bibit, ut postea, teste Curtio; dicere sit solitus, se in vita nil sapidius unquam, neque carius bibisse. Quod si quæstionem de loco aquis abundante intelligamus, dicerem ego cū veritate me cariorē nō vidis-

se aquam, quàm in territorio Egrensi, acidulis abundante Patria. hæc namq; aliò ad 20. solummodò vetæ millaria, pretium melioris vini æquant: neque hoc mirum est; notissima siquidem & probatissima aquarum salubritas, quam ipse in annum quintum expertus testari possum, pretium etiam vino majus meretur. Quòd si verò quæstio non de præfata, sed ordinaria aqua, quâ passim pagi, oppida, & Urbes abundant, procedat; ubi estò copiosa, reficendis non solum hominibus, sed & jumentis, carissima nihilominus sit; non putem me errare, si dixerò: apud Cellarios & œnopolas quosdam, qui immixtâ vinis aquâ vinum augere, unum in aliud, domesticum in extraneum damno hospitem, suo tamen non exiguo lucro dexterrimè commutare nōrunt. Jucundum est, quod referam, & ex ore mihi noti œnopolæ recenseo. Venerunt ante annos tres Illustrissimi aliquot peregrini hospites ad diverforium cujusdam Excellentissimi non usque aded multis leucis hinc distitum, qui mensæ accumbentes ex hospite domûs sciscitati sunt equalenam vinum haberet? reposuit, quod res erat, bonum, vetus Boëmicum, ad hoc movère capita peregrini, seque Boëmicis non esse assuetos respondent. Mox facetus hospes subjungit, etiam præstò esse vina exera, Rhenana & Mosellanica. Hæc, inquiunt illi, placent, hæc adfer. Festinato igitur cursu ad cellare properat; justæ magnitudinis

ampho-

amphoram fontanæ secum bajulans vinum Boëmicum aquâ attemperat, eâ dexteritate, ut pro optimo mosellanico biberetur & solveretur. Insuper, quod magis mirêre; ubi postliminio Excellentissimum loci Toparcham convenère, in profusas excurrere laudes, quòd tam præstanti vino mosellanico iter per bona sua facientibus in diverforio suo providisset. Miratus interim tacitè Excellentissimus & indignatus Hospiti, quòd in fraudem Domini peregrina vina educillaret; ad Capitaneum literas exarat, in fraudem inquiri jubet, rem prout gesta, deprehendit. Ridentur Peregrini, quòd vinum Boëmicum aquâ dilutum pro Mosellanico bibissent, solvissentque. Transeat semel hæc ars aquam apprehendi, & in vinum mutandi; sed nec semel, multo minùs sæpius licita est. Metuendum habet ejusmodi aquæ in vinum transmutator, nè DEO vindice lucrum ex aqua, unâ cum lucro ex vino in aquam abeat.

Exemplum elegans recenset S. Gregorius Turon. L. I. c. 109. de gloria Confessor. Lugdunensem œnopolam fuisse, qui per Ararin fluvium ad nundinas vectus, cum fortè è marsupio rubro nummum vellet educere, milvus prætervolans corium rubrum ratus frustum carnis, aufert marsupium; advertens subinde carnem non esse, in aquam cum pecunia dimittit. sic malè parata, malè dilapsa, & pecunia, quæ

ex aqua vino immixta provenerat, in aquam redijt.

Aliam licitam, & summè quaestuosam artem, aquam in vinum mutandi, docet S. Bernardus sermone de Cœna Domini. dum ità loquitur: *Super omnes delicias nectaris, lacrymis anima delectatur; funde lacrymas peccator, atque ad Dominum convertere, & aquam in vinum convertisti.* Et serm. 68. in Cant. vocat lacrymas *vinum cœleste*, quo unicè Cœli incolæ Angeli delectantur: *Lacrymæ (inquit) Pœnitentium, sunt vinum Angelorum.*

Triplici modo vina probantur: odore, colore, & sapore. Inest lacrymis ante omnia odor suavissimus, quo omnis fœtor aboletur. Ter Magdalenam flevisse lego, sed & ter odorem optimum dedisse Christo; 1. Luca 7. v. 87. apud Pharisæum. 2. Bethaniæ post Lazarum resuscitatum Joan. 12. Denique Matth. 28. ad sepulchrum. Ubi lacrymæ, ibi odor. Porrò color hujus vini pulcherrimus est sic, ut ipsos DEI oculos capiat. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* psal. 55. v. 9. oculo scilicet amante lacrymas intueris. *Quod amamus, libenter intuemur* (inquit Beda) *quod execramur, ab eo oculos avertimus.* Pagninus memorata psal. verba ità vertit: *posuisti lacrymas in libro tuo.*

§ 4.
Ars genuina aqua mutandi in vinum.

§ 5.
Lacrymis omnes probati vini proprietates insunt.

§ 3.
Illicitum lucrum ex aqua in vinum mutata in aquam diluit.

In libro rationum tuarum; nè scilicet lacryma unica non numerata maneat. alius: *in oculo tuo*. Clarius alij: *in thesauris suis*. Clarissimè Vatablus: *in lagunculis tuis*, scilicet ut vinum pretiosum, exempli gratiâ Gallis Frontiniaco dictum, in lagunculis signatum mitti & vendi solet. Sit vinum quodcunque, & quantumcunque pretiosum, lacrymas non æquabit. *Pulchriores sunt oculi ejus vino* Genes. 49. v. 12. intellige oculos lacrymis poenitentiae, aut amoris DEI perfusos. Porrò sapor vini hujus, lacrymarum videlicet tantus est, tantque saporis, ut non credat, nisi expertus. Credamus Chrysofotomo hom. 12. in ep. ad Coloss. Nihil est lacrymis jucundius, sicut scit, qui experitur quantam habeat res hæc voluptatem. S. Augustinus hoc sapidissimo vino inebriari cupiens medit. 36. exclamat, *Calix tuus inebrians Domine, quàm præclarus est! da mihi gratiam lacrymarum, ut iste calix inebrians satiet sitim meam*. Sunt ergo lacrymæ calix inebrians. aquæ non inebriant: neque inebriarent lacrymæ, nisi in vinum converterentur: sponsa cum impetrasset donum lacrymarum Cant. 2. v. 4. ait: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me Charitatem*. sperat etiam aliquid David psal. 79. *Potum dabis nobis in lacrymis*. Paraphrastes ait: *Potum dedisti eis vinum lacrymarum*.

§ 6.
Lacrymas
Christus
unicè
sitit.

Ecce vinum lacrymarum, quod ipse Salvator in vita & morte unicè

sitivit. Juxta illud S. Chryfologi serm. 93. *Christus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum*. Joannis 4. venit JESUS in Samariam, in Civitatem Sichar. *fatigatus (ut ait Evangelista) ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Venit aquam haustum mulier, cui Christus: *mulier da mihi bibere!* Quæro cum Bernardo: *quid sitis Domine?* Respondet Augustinus: *qui bibere querebat, fidem, & lacrymas mulieris querebat*. Lucæ. 7. Idem JESUS Simonis Pharisei domum intrat, invitatus mensæ accumbit. Sed nolite scandalizari Judæi, quòd ipsa sanctitas cum peccatoribus manducet. causam ex suprâ citato Chryfologo audite: Christus Pharisei domum intravit, non sumpturus Judæis usitatos cibos, nec pocula melle soporata: mensæ accumbit poenitentis Magdalene lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Lucæ 22. conversus JESUS respexit Petrum. Sed cur modestissimus Dominus respicit? nimirum sitit lacrymas; conversus *Petrus flevit amare*. Aded dulce JESU fuit vinum lacrymarum, ut ab earum potu sibi in morte temperare, non potuerit. Mors erat in labijs, mors in oculis, mors in corde, mors in toto corpore, vix aliquid amplius poterat, & clamat: *sitio*. *Non satis credibile est (verba sunt S. Bernardi) ipsum de siti corporali dixisse, ut peteret carnalem, qui in instanti sciebat se carnaliter moriturum*. Bene proinde Chryfologus, *sitit lacrymas peccatorum*. Dederat in Cruce morienti bibere

Latro

Latro pœnitens, ad dexteram; sed quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. unde conterendi finistri Latronis conversionem præstolabatur, exspectabat pœnitentis lacrymas. idcirco clamat: sitio! non placuit vinum myrrhatum, sed vinum sitivit Angelorum. Hic illud mysterium venit expendendum, cur David ps. 149. dicat: *aquæ omnes, quæ super Cælos sunt, laudent nomen Domini.* Quæ illæ aquæ? putat S. Augustinus, Justinus M. Basilius M. esse ingens mare ad igneam sphæram attemperandam, & ardorem siderum. Thomas Anglicus Cardinalis in ps. r. ait: lacrymas esse, quæ laudant DEUM, quia causant gaudium in ipso DEO, & sanctis, & de gaudio laudem. O Peccatores! etiamnum per vos exhilarari vult DEUS, sitim suam levari vult JESUS; unde etiamnum inclamat. *Da mihi bibere!* Da sitienti DEO hoc solatium: dic cum Isaia c. 16. *Inebriabo te lacrymâ;* sic deinceps flebo, ut in veritate cum Psalm. dicere possim: *lacrymis meis fratum meum rigabo.* Psalm. 6. v. 7.

catorum gravitatem tibi proponendo, & suorum beneficiorum exhibendo magnitudinem; fluent aquæ vinigeræ timoris & amoris. Roga cum Augustino, Lib: meditat: cap. 36. Da mihi Domine amorem tuum sanctum, castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat. Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem, ipsæ loquantur, quantum te diligat anima mea, ut sic te sitientem reficiam, & propter hunc meum tui amorem reciproco tui amore æternum reficiar. Aut si mavis ad Matrem Domini accede; hæc pro te solenne illud suum ad filium repetet: *Vinum non habent.*

Sed satis jam de lacrymis; sunt etenim & alij aquam in vinum mutandi modi, si videlicet JESU sitientis amore genium tuum vini generosi haustu generosè defraudes, aut calicem aquæ frigidæ eroges. S. Radbodus Ultrajectensis Episcopus vino abstinens, aquam è vase onychino bibere solebat, hospitibus verò reliquis vinum optimum apponifaciebat, fuit non nemo qui eodem è poculo, de quo S. Præsul biberat, curiosè libaret, ratus quod erat, esse aquam; at vinum optimum esse, deprehendit. ecce abstinencia voluntaria à vino, aquam mutat in vinum optimum. De Joanne Baptista, quò inter natos mulierum non furrexit major, testatur

§ 8.
Alius modus mutandi aquam in vinum: abstinere à vino, & aquam dare sitienti.

§ 7.
Quidagen-
dam, ut in
lacrymas
solvamur.

Sed dicet aliquis: Credo lacrymas esse vinum Angelorum, nec solum Angelos, sed ipsum DEUM recreare; ast ego hoc modo aquam in vinum mutare nequeo: flere, mihi impossibile est: vir sum, non mulier, quæ in promptu habeat lacrymas; cor habeo saxeam. Si tibi cor saxeam est, ecce Moysen; ecce cum virga crucis Christum: ora hunc, ut bis percutiat: tuorum pec-

Evan-

Evangelista; Luc. 1. v. 15. *Vinum & ficeram non bibet.* Bonum est, quando suppetit, non bibere vinum, sed servare, ut de abstemio quandoque in Coelis dicant Angeli: *servasti bonum vinum usque ad huc.* Joan. 2. v. 10.

§ 9.
Exempla
artis felici-
ssimæ.

S. Homobonus lagenam vini ferebat aliquando operarijs in prædium (Surius 19. Novembris) cui cum sitibundi pauperes occurrissent, & potum rogassent, dedit; sed evacuato ad fundum vase, cum domum ob pessimam hospitam Xantippen pro vino reverti non auderet, aquam hausit, benedixit, & bibendam Operarijs detulit; gustarunt illi, & protestati sunt, se nil unquam pretiosius in vita bibisse. Homobonus rideri se ratus, gustat & ipse, & advertit reverâ aquam in vinum optimum abijisse. S. Augustinus ferm. 231. de tempore, expensa divitum erga pauperes paritate, exclamat: *O infelicitatem generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos amplius, quam oportet, cogunt bibere, & ante ostium petentibus pauperibus vel unum calicem dissimulant dare: non attendunt, quod illud, quod luxuriosis videntur erogare, Christus in pauperibus deberet accipe-*

re. Quæ verba Augustini, in illud Christi collimant, ubi dicit: *quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ &c. amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Matth. 10. v. 42. quibus verbis insinuare videtur artem ex aqua vinum faciendi; si non illud, quod bibunt homines, certè illud, quod bibunt in Cœlestibus nuptijs Sancti omnes; vinum, quod verè lætificat cor hominis; vinum, quo hausto nunquam sititur in æternum; quod expectare possunt omnes ac singuli, quotquot haustu frigidæ misericordiam exhibent sitientibus. Non perdent mercedem suam; nec tantum calicem, qui quidem unicus inebrians & præclarus est; sed integrum recipient liquidissimæ voluptatis torrentem. Audivistis ergo causam, Auditores, cur Christus in vino initium signorum suorum fecerit: intellexistis & modum, quo aqua in vinum illudque optimum, possit commutari. Et quia, ut audivistis per aquam intelliguntur lacrymæ, intelligitur Pœnitentia, Abstinencia & Misericordia erga pauperes, tantam artem, aquam nimirum in vinum convertendi probaturi, *Haurite nunc.*



PRO-